



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. Magnanimitate[m] non aduersari Christianæ humilitati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

nem non auerti à bono ob adiunctam difficultatem, quod est motiuum fortitudinis; aliud operari, quia hoc est fundamentum magni honoris debiti, quod est motiuum magnanimitatis. Hinc deducit Aristoteles, magnanimum, magnos honores, si exhibeantur, tamquam sibi accommodatos admittere, deque eis cum mediocritate gaudere: quin, etiam si non adæquent eius meritum, si tamen à viris probis deferantur, eos non dedignari; sicut dedignatur honoris à vulgo & face hominum, vel ob res nihili, exhibitos: quemadmodum inhonationem quoque etsi ea se indignum agnoscat, quia est recto animo, despicit prorsus, si à vili homine, aut terræ filio, vel ob rem nullius momenti inferatur. Est enim hoc aliud nihil, quàm si musca mordeat leonem, aut auicula grauet elephantem.

Hanc Aristotelis de magnanimitate doctrinam Viues & Michaël Medina, tamquam Euangelio & virtutis naturæ repugnantem carpunt. Et videtur ijs suffragari D. Augustinus his verbis: *Ubi fuerint carnalium voluptatum illecebra superata, cauendum est, ne subrepat atque succedat cupiditas placendi hominibus, aut per aliqua facta mirabilia, aut per difficilem continentiam siue patientiam: aut per aliquam largitionem, aut nomine scientia vel eloquentia. In eo genere est & cupiditas honoris, contra qua omnia proferantur ea, qua scripta sunt de laude charitatis, & de inanitate iactantia: doceaturq; quàm sit pudendum eis placere velle, quos nolis imitari. Aut enim boni non sunt, & nihil magnum est à malis laudari: aut boni sunt, & eos oportet imitari. Sed qui boni sunt, virtute boni sunt: virtus autem non appetit, quod in aliorum hominum potestate est. Qui ergo imitatur bonos, nullius hominis appetit laudem; qui malos, non dignus est laude.* Hæc Augustinus verè, sed ea, vt videbimus, neque nobis, neque Aristoteli aduersantur. Neque enim semper genius Magnanimi, quo plerique abutuntur, pro Aristotelica magnanimitatis natura accipiendus est, cum facile transeat in genium superbi, & fumo, vt dici solet, flamma proxima sit.

Vt ergo neque magnanimitatis virtutem excindamus, & quo modo Honor & Gloria appeti possit, vel non possit, perspicue ostendamus, illud discrimen tenendum est, quatuor modis appeti posse honorem. 1. Nudè, & absolutè, vt ordo ad conuenientiam,

Gg 2

VI.

Viues lib. de corruptis disciplinis. Medina lib. 2. par. 2. c. 7. S. Augustinus lib. 83. qq. cap. 36.

VII.

nientiam,